


Joachim Lizovius Joachimus Clessenius

Disputationum Generalium Philosophicarum Exas Problmatik Octava De Prudentiis Reliquis Sev Parte Philosophiae Practicae Speciali, Politica Et Oeconomica

Rostochii: Ferberus, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729228746>

Druck Freier  Zugang



J. Lizovius.
R. U. phil. 1618.

31.

ΣΥΝΘΕΩ
DISPUTATIONUM GENERALIUM
Philosophicarum

ΕΞΑΣ ΠΡΟΒΛΗΜΑΤΙΚΗ
ΟCTAVA,

De

PRUDENTIIS RELIQUIS SEV PARTE
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ
SPECIALI,
POLITICA ET OECO-
NOMICA

Quam

D. O. M. A.

Consensu & autoritate Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ,

In celeberrima Academia Rostochiensis,

SUB PRÆSIDIO

M. JOACHIMI LIZOVII

SS. Theol. Studiosi.

defendendam suscipiet

JOACHIMUS CLESSENIUS, Ruppino-Marchicus.

24. Martij horis & loco destinatis.

~~ROSTOCHII~~

ROSTOCHII

Typis excursit Augustinus Ferberus Anno 1618.

DE OECONOMICA ET POLITICA,
PROBLEMA I.

An Oeconomica constituenda pars Ethicæ Specialis
à Politica omnino distincta? Et, si hoc, num ante vel
post Politicam sit tradenda?

Rejicit *Mirandulanus* Politicam & Oeconomicam duabus de
causis, cum (1) quod non tam ob necessitatem artis, quam
ob hominum pravitatem per accidens sint confectæ; tum (2) quia
si viverent secundum virtutem, non indigerent lege & institutio-
ne. Sed noviter magis, quam graviter hæc profert.

Si enim (1) naturaliter homines viverent secundum virtu-
tem sup-ryacanei non modò essent libri Politicorum & reliqui,
sed etiam Ethicorum. Nec (2) ad bene beatèq; vivendum sufficit
sola virtus in genere, sed opus est constitutione civitatis, quæ mate-
riam, quæ formam legitimam, partim ne ab aeris malignitate aut aliâ
vi externâ facile lædatur aut perturbetur, partim etiam ut regatur
optimatum imperandi modum callentium consilio, ne ab intesti-
nis morbis & seditionibus vexetur. Sed hæc ad quæst. 3. disp. 6. re-
ferenda. Confer. *Accorambon. in proem. Eth. p. 253. & proem. Polit. p.*
722. Riccob. in præf. p. 26.

Quod ad præsentem quæstionem, sunt primò qui negant Oe-
conomicam, à Politica distinctam constituere disciplinam, adeoq;
eam vel pro parte vel pro appendice Politicæ habent, unde com-
muniter etiam quæ pertinent ad Oeconomicam in ipsis Politi-
cis explicant.

Rationes ipsorum hæc sunt: 1. quia ubi agitur de toto ibi eti-
am agendum est de totius partibus. Jam verò domus est pars ci-
vitat. Ergò etiam Oeconomica pars Politicæ, consequenter non
est constituenda pars Ethicæ Specialis à Politica distincta, sed po-
tius ad eam tanquam pars ad suum totum referenda. 2. quia, qui
Politicam ab Oeconomica sejungit, civitatem à familia distrahit,
vel membra singula ab ipsius corporis compage divellit & q; urbè
sine ædificijs extruere molitur. 3. quia ipse *Aristoteles 1. Polit. omnia*
illa explicat, quæ in Oeconomica solent doceri, Quo indicat Oe-

economicam ad Politicam referendam esse. 4. quia continet primordia civitatis, ejusdemq; materiam consequentem, siquidem fundamentum universæ Reip; in recta familiæ institutione & educatione situm, 5. quia Rei familiaris & publicæ ratio in plebisq; convenit. Nam sicut civilis societas paucos habet, qui imperent, multos qui obsequantur; Ita res domestica unum qui præsit, reliquos qui pateant &c. *Patric. de Instit. Reip. tit. 2. Bodin. de Rep. l. 1. c. 2. p. 12. Zabarell. de N. L. p. 80. A. Piccol. in introd. c. 8. alij.*

5 Verum respondebimus nos ad rationes istas, ubi sententiam nostram, quæ verior, produxerimus, probaverimus. Dico igitur Oeconomicam pro parte aut appendice Politicæ habendam non esse, sed constituendam illam partem Ethicæ specialis à Politica omnino distinctam.

6 Probo id ipsum sequenti argumento: Quæcunq; disciplinæ differunt 1. fine, 2. objecto s. materia, 3. præceptorum serie s. forma, 4. subjecto operationis; 5. qualitate, denique 6. definitione, &c. Illæ distinctæ sint oportet, & quidem realiter, adeoq; non confundendæ. *εὐδηλον.* Atqui Oeconomica & Politica taliter se habent. Ergo. Assumptionis veritatem demonstro in singulis membris.

7 Differunt 1. fine, quia Oeconomica spectat *ἐπιπροσέτιον* & *εὐζωίαν* familiæ, Politica summum bonum & felicitatem Civitatis 2. *Objecto s. materia,* Oeconomica actiones, dirigit circa curam rei familiaris adhibendas, Politica ad rectam Reipublicæ gubernationem facientes 3. *Præceptorum serie seu formâ,* Oeconomica paucis agit de officijs saltem privatis Conjugum, mariti ac uxoris 2. parentum itemq; liberorum. 3. servi & servorum, Politica multis præcipit de officijs publicis, tum præcipientium tum parentum, quorum magna varietas. 4. *Subjecto operationis,* Oeconomica informat bonum Patremfamilias aut alium in familia constitutum, Politica bonum & civem & magistratum. 5. *qualitate* dum Oeconomica pro fundamento potissimum habet matrimonium, cujus respectu societas ejus non modò necessaria, sed etiam indissolubilis individua, perpetua & sempiterna; Politicæ pro fundamento habet Imperium, cujus respectu societas ejus naturâ sua quidem individua, sed salvâ honestate & bonâ gratiâ iterum dissolvi potest mult.

est mutuo dissensu contrahentium. Tandem *S. Definitione*. Defin-
tur Oeconomica Prudentia bene constituendi & curandi domum
vel familiam, Politica prudentia bene constituendi & admini-
strandi civitatem seu Remp.

Patet igitur Oeconomicam & Politicam disciplinas esse di-
stinctas nec in inter se vel in unum confundendas, id quod *araxiden-
rius* à plerisque hodiè fieri consuevit. *Ad rationes supra objectas re-
spondeo ordine.* *Ad 1.* est (1) æquivocatio in vocabulo domus
quod partim absolute partim relate sumitur. *Absolute* quatenus
constat ex familia & re familiari sine respectu ad civitatem, *Relate*
quatenus respectum hunc includit. Priori modo non est pars Ci-
vitatìs & pertinet ad Oeconomicam, Posteriori est & pertinet ad
Politicam. Neq; (2) sequitur inde quod inferitur, Oeconomicam
non esse constituendam partem à Politica distinctam. Nam, ut jam
dictum, aliter considerat domum Politicam, putà respectivè, aliter
Oeconomicam absolute. *Manente igitur distincta rei consideratione, di-
stincta etiam de illa manent discipline.*

Ad 2. Est Elenchus falforum imparium. Non ambulant hæc
pari passu, Oeconomica certà ratione à Politica distinguere, & fa-
milias ad unum omnes simpliciter à cætu civium sequestrare. Il-
lud intendimus, hoc nos facere negamus.

Ad 3. verum quidem est Aristotelem in *Politico* familias confi-
derare, sc. relate & quatenus sunt partes Civitatìs & communi
Reip. juri subjiciuntur; sed & hoc verum est, quæ privatis Oeco-
nomiæ terminis includuntur, utpote modi acquirendi & conser-
vandi familias, præcepta regendæ uxoris & servorum vel educan-
dorum liberorum, cum privatim competant familijs, non quat. il-
læ sunt partes totius civitatìs, eundem *in lib. Oeconom.* separatim
pertractare. *Præterea* ineptè alij hic factum prætendunt, cum de ju-
re quærat. Sed sufficit distinctio.

Ad 4. potest quis (1) Civitatìs seu Reip. esse membrum &
familiam v.g. conjugem, liberos, servos non habere. Nec sequitur
(2) fundamentum Reip. consistit in recta familiæ institutione &
educatione. Ergo de utriusq; & familiæ & Reipublicæ bene con-
stituendæ ratione in una & eadem disciplina agi debet. *Sicut* non-
stanti doctrinæ elementorum in physicis sit pars doctrinæ de mi-

tis corporibus, etiã si elementa ingrediuntur mixtionem & fiãnt
partes corporum mixtorum. Neq; itatim ars de conficiendis fer-
ris, cardinibus, aut alijs ferramentis est pars disciplinæ architecto-
nicæ, etiã si ad domum construendam, velut partes assumantur.

12 Ad 5. In plerisq; (1) Ergò non in omnibus. Et nonne (2) eo
ipso differunt manifeste, quod numerus imperantium utrobique
discrepans, quorum multi sunt in civili societate, unus verò tan-
tum in societate domestica, *addo*, qui etiã solus & semper impe-
rat, cum illic imperium sit ambulatorium & modò ad hunc mo-
dò ad illum per vices devolvatur. *Tum* Dominus in domo sua pro-
priè æstimatur *τῆ φῶρα* dominari & imperare, Politicus autem
τῆ Πῶρα Arist. 1. polit. 1. Confer Gol. 1. pol. 4. p. 36. Arnif. c. 1. de constit. Reip.
p. 32. Kirchner. disp. 1. polit. th. 3. lit. b. Sturiz. th. 1. lit. a. Keckerm. tom. 2. op. p.
197. Timpl. lib. 1. Oecon. c. 1. quest. 2. p. 3. Velft in quest. Polit. dec. 1. quest. 3.

13 Quæstione primariã decisã restat ut appendamus, an ergò
Oeconomica, (cum a Politica disciplina sit distincta), ante an verò post
Politica tradenda, cujus solutio ex superioribus facilè patescit,
nempe quod ante sit tradenda, tum quod ordine nature hæc illa
præcedat, Domus enim civitate prior, tum etiã ordine doctrine,
quod hujus præcepta velut leviora ad cognoscenda præcepta Po-
litica, utpote graviora adjumentum aliquod afferant.

14 Hinc Timplerus in ep. ded. Oecon. sicut domus fundamentum est
Reip. eamq; ordine nature generantis antecedit. Ita Oeconomica
non immeritò fundamentum Politicæ habetur, doctrineq; ordinis
priors partes sibi arrogat.

15 Sed objicies Philosoph. 1. Eth. 1. disertè ait: Oeconomicam Po-
liticæ esse subjectam, tanquam cujus finis reliquarum artium fi-
nes complectatur. R. 1. dist. inter Politicam constitutam & constituendam.
2. inter ordinem dignitatis & cognitionis. De Politica jam constituta &
ordine dignitatis loquitur, nos verò de constituenda & ordine
cognitionis solliciti sumus. Et nonnè idè Oeconomica quod finem
suum velut Intermedium ad finem politices ulteriorem sive ul-
timum refert præmittenda?

16 Obi. 2. Arist. 1. Polit. 2. ait: civitatem naturã esse priorè domo &
quàm nos singuli. E. falsum, domum civitate esse priorè. R. Est
prior civitas naturã independente s. primitate intentionis. Est verò domus
prior

prior natura generante s. primitate generationis. quia natura saltum non facit, sed successive a minimis per media ad ultima transit. Hinc hominem Deus prius condidit, deinde huic sociam addidit, ut Oeconomiam institueret, ultimo ex hac velut propagine domos, pagos, urbesq; produceret. Confer Arist. 1. Pol. in Prin. c. 7 & 8 Eth. c. 12. & 1. Oecō. c. 1, ubi manifestè dicit priorè esse Oeconomica Politicā, imò etiam iustitiam in Oeconomia prius floruisse 7. moral. Eudem c. 11.

Obi. 3. Attamen Arist. statim post Ethicam agit de Politica. E. 17 hæc præmittenda. R. Factum hoc (1) peculiarib. de causis propter nimirum leges legumq; positiones, de quib. dicere cœperat in fin. lib. ult. Eth. sicut alias quoq;, ubi ordo facilioris cognitionis & necessitas doctrinæ postulavit, naturæ ordinè Philosophus præterijt, ut exemplo Relationis & Quantitatis probat Zab. de meth. l. i. c. 7. Nam quod Oeconomica per se Politicæ disciplinæ necessariò præmitti debeat, ipse satis eò manifestum reddit, quod multa Oeconomica præcepta toto l. 1. pol. tradat, antequam ad Politicam ex profess. reliquis libris tractandam perveniat, præsertim cum speciales etiam leges iustæ & accommodatæ in Politico statu à magistratu ac legumlatoribus poni nequaquam possint, nisi Oeconomicum statum, tanquam præcipuam civitatis partem, exactè habeant cognitum, Ad ferendas n. leges in Rep. caput benè nosse Oeconomias. Keck. curs. phil. d. 28. probl. Oecon. 1. Adde Timplerum in Oecon. l. i. c. 1. q. 4. Meisn. diss. de sum. bon. in præc. p. 22. Colleg. Conimbr. in proæ.

PROBL. II.

An Politica disciplina sit omnium tum augustissima, tum utilissima?

Ita passim celebratur. Aristoteles 1. Eth. & Polit. c. 2. eam vocat κορυφαία ἢ μέγιστα ἀρχιτεκτονικὴν reliquarum Dominam & quasi archifabilem ac maximè Principem. Plato πᾶσαν Ἰπsicatικὴν omnium constitutricem. Plutarch. in Car. maj. præstantiorem hæc nullum hominem assequi posse tradit. Et jam audivimus ratione dignitatis præcedere Politicam Oeconomicam itemq; disciplinis alijs. Addita est ratio (1) quia omnium aliarum artium fines ad finem Politices referendi, Undè hæc illis quendam velut gradum perfectionis addit. Non enim tantum considerat privatum unius aut alte-

aut alterius hominis, sed *commune & publicum* omnium civium bonum, adeoq; salutem Reip. quæ unicuiq; esse debet commendatissima.

2 Tu adde 2. quia sub se Politica complectitur non modò Oeconomicam sed & Rhetoricam & Imperatoriam s. Bellicam, & similes, quarum operâ & ministerio in administratione Reip. & bono publico promovendo utitur. 3. quia præest quodammodo & præscribit cæteris omnibus, leges ac terminos, quatenus & quousq; in civitatibus sint tolerandæ & excolendæ *Col. l. 1. Eth. c. 1. & 2.*

3 Hinc enim de Oratorib. Poetis, philosophis & quibuscunq; artificibus quaeritur in *Politico*, an ferendi in bene constituta Republica? Et sine Politicæ consensu ac voluntate filere cogitur *Theologus*, tacere *Ætus*, quidè rigescere & obmutescere *Medicus*; Sine ejus jussu & sanctione nulla est vel ex *artibus ingenuis* vel *mechanicis*, qui in publicum vitæ humanæ theatrum prodire audeat. Nam quod (1) in *Scholis* docetur Gram. Dial. Rhet. Phys. Eth. & c. & disciplinæ Mathematicæ, quod homines in Pietate & religione instituuntur, quod in legali Prudentia & Medicina erudiuntur, (2) quod extra *Scholas* etiam in pace opifices officia exercent sua, quod non omnia crudeli Bellonæ Martisq; face terrarum loca flagent, & in quibusdam mundi partibus nobile pacis nomen floret, quod militaris disciplina ad pacem conservandam & hostium injuriam tempore necessitatis propulsandam armorum ad usum homines rectè informat, id omne suo sibi politica jure vendicat.

4 Atq; hæc & similia de dignitate & præstantia disciplinæ hujus communiter afferri solent, ex quibus undè æstimare ejus quoq; utilitatem licebit. Nimirum Politica & benè imperare docet & sic imperantibus obtemperare, atq; ad totius humani generis usum & utilitatem alias omnes disciplinas applicat (ut dictum) & cætus hominum constituit, gubernet ac tuetur, in quibus illæ doceri & exerceri possunt liberè & ad posteritatem tutò & in pace propagari? Undè *Cicero* Nihil est ex omnibus rebus humanis præclarior quàm de Rep. benè mereri, quod præcipuè munus est Politicæ. Sicut nihil est ex omnibus rebus humanis foedius, deterius & pestilentius, quàm de Rep. malè mereri, id quod fit potissimum ab ignorantis rerum civilium s. Politicarum.

§. Erra-

Errata enim in reliquis artibus & disciplinis minus nocent, 5
quia nempe paucis nocent, & illi potissimum, qui errat; sed qui
in Politicis committuntur errores & prævaricationes, in magnam
partem humani generis exundant, & totas universitates nationes
ac provincias perfundant. Ut verò dixerit Lamb. Deniq; in Proem. Po-
lit. Nullibi gravius ab hominibus peccari, & periculosius errari
quam in Politicis.

Decisionis loco observari velim, cum & *Metaphysica* alibi ab A- 6
ristotele dicatur scientiarum regina ac principissa, itemq; à *Piccolomi-
neo Ethica Politicæ* præferatur *I. de Phil. mor.*, accipienda hæc de præ-
eminentia & prærogativa *Politica* saltem secundum quid & certo
respectu, cum primis *ratione objecti*, 2. *finis*, & 3. *regimini Practici*, non
verò absolute, aut *ratione universalitatis præceptorum*, vel regi-
minis *speculativi*. Vid. *Alb. Mag. Eth. 1. tract. 7. c. 8. Dn. Thom. Eth. 10.
sect. 11. Gocl. in Concil. Phil. part. 1. p. 8, Meisn. in præc. Eth. p. 22. Hoeck.
in clav. phil. p. 493. Piccol. in Introd. ad 10. grad. civ. Philos. Keck. in præ-
cog. Syst. polit. c. 1. Timpl. in Polit. ap. ded. Schonborn. l. 1. polit. c. 1. p. 1.
Hænon. disp. polit. 1. th. 1. lit. a. &c.*

PROBLEMA III.

*An methodicè certisq; præceptis tradi possit, doctri-
na tum Oeconomica tum Politicæ?*

De *Oeconomica* res minus videtur dubia, cum angustioribus I
clauditur terminis. De *Politica* verò maxime, cum (1) amplissimis
variarum rerum & materiarum se defundat copijs, quæ ad certas
regulas ac præceptiones se redigi & restringi non ita facile pati-
untur. Quæ de re semper conquesti præstantissimi quiq; scripto-
res *Politici*, *Tholos. in princ. libr. de Republ. Lips. 5. polit. 1 Dan. in Pro-
em. Polit. Hæn. disp. 1. p. 4. alij.*

Accedit (quæ tamen rationes aliquo modo ad *Oeconomicam* 2
etiam applicari possunt) quod (2) maximas sibi partes in hac di-
sciplina vendicat diuturnus rerum usus, longaq; experientia, quæ
ut in alijs ita & hic potissimum, *μαθήσεως ἀρχή* *Alcm. apud Pind. Interp.*

Nec (3) minores debentur prudentiæ, quæ ipsius *Politicæ* 3
velut anima, & alias *divinæ providentiæ umbra*, & *δύμνα τῆς ψυχῆς*
Aristoteli. Ut enim *medicina valetudinis*, sic *vivendi ars Pruden-
tia, Cii.*

Q

Curio Prist.

tia, *Cic. de senibus*, Ad quid verò illa diva in Politicis? si omnia certis & immotis præceptis & regulis comprehendi & includi possunt. Prudentia enim, quia in contingentibus, mutabilibus dubijsq; est occupata h. e. rebus, quæ subinde variant ratione ætatum, personarum & aliarum circumstantiarum, deliberationes & consultationes frequenter instituit: Jam quid opus deliberatione? ubi præcepta sunt certa & regulæ immotæ.

4 Adde (4) quod omnes fermè Politicæ plurimâ parte consuetudines spectent & mores alios atq; alios à civibus receptos & introductos pro loci conditione, unde *Pindarus*: Rex omnium mos est; jam vero morum & consuetudinis magna vis, teste *Cic. 2. Tusci*, atq; consuetudinarium quod est, est quiddam liberæ voluntatis. Qui ergò certæ subjacebit disciplinæ?

5 Deniq; (5) suffragari videtur *Arist. 1. Eth. Nic. c. 2.* ubi (1) τῷ φύσει five naturæ legem ἀντιδιηγήμενος opponit τῷ νόμῳ five legibus positivis, adeoq; (2) in naturali disciplina innuit apodictica reperiri, in civili verò tantum probabilia. Verba ejus sic habent: τὰ γὰρ καλὰ ἢ τὰ δίκαια πλείων ἢ πολιτικῆ σκοπέεται, τοσαύτων ἔχει διαφορῶν ἢ πλάγλου ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μὴ ὄν. Ita qui negativam defendunt, arguti solent.

6 Cæterum repetimus ad hæc, quæ dicta *disput. sup. 7. probl. 3. & ex disp. 3. probl. 4. th. 5.* id pro primo & immoto principio ponimus, hanc disciplinam nullâ aliâ methodo commodè & convenienter tradi posse quàm Analytica & resolutiva, & deinde *methodi resolutivæ* plura membra non esse, quàm hæc, nempe *finem*, *subjectum* & *media* ad finem ducentia. Ad hæc *tria* summa capita universa methodus disciplinæ Politicæ tanquam ad Cynosuram revocari optimè potest, & quicquid est materiarum homogenearum in Politicis eò referri, resectis & rejectis heterogenijs & ad aliam disciplinam pertinentibus, ut exemplo systematis sui Politici *imprimis Keckermannus* conatus est ostendere.

7 Nam quod hæctenus (*verba ejus sunt in præf. Polit.*) parum methodicè tradita est Politica, hæc causa videtur esse potissima, quod *partim* ex Theologia, *partim* verò ex Ethicis aut Oeconomicis (aut alijs disciplinis) multa assumerint Politici scriptores & tanquam Politica tradiderint, quæ Politica non fuerint, Quæ autem, aliena sunt, ea

sunt, ea in æternum non possunt ad methodum ejus disciplinæ, à qua aliena sunt revocari, quia materia semper debet correspondere formæ. 1

Quemadmodum igitur *Jurisprudentia* legitimis & inter sese cohærentibus præceptis potest describi, quod egregiè à multis comprobatum est: Ita & *Politica* (& multò magis *Oeconomica*) quoniam in illa major, quam in hac vel ista actionum occurrit varietas *Schonborn. l. 1. Pol. c. 2. p. 2. & 3.* 8

Est verò omninò rectè instituti, eatenus exactam in unoquoq; genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest. *Gerh. dec. 1. quest. Polit. q. 1. ex 1. Eth. Nic. 1. Confer Velft disp. 1. quest. Polit q 8.* ubi & fundamenta solutionum inter alia reperies, pro objectis in contrarium argumentis. 9

PROBL. IV.

An acquiratur prudentia Politica præceptis vel usu, an historiarum lectione vel peregrinatione vel conversatione?

Clemens Timpl. in Polit. ep. dedic. lit. 4. 3. ait, ad prudentiæ civilis acquisitionem necessariam 1. Dei benignitatem. 2. singularem naturæ sagacitatem. 3. longum rerum usum & experientiam. 4. historiarum lectionem & meditationem 5. peregrinationes, deniq; 6. artis Politicæ cognitionem & exercitationem, & omnia simul requiri ibidem ostendit & deducit prolixè. 1

Ego breviter ad ea quæ in quæstione proponuntur, respondeo: Profunt & juvant singula, modò quis ordinem servet legitimum ac decentem. Consideratur *prudentia Politica*, vel ut *comparanda*, vel ut *usurpanda*. De comparanda instituta quæstio est *Observa* ergo addisci, & acquiri eam posse tum ex præceptis quod *De we'as* est, tum ex ipso usu, quod *we'as*.

Præcepta quod attinet, cognoscuntur illa à consiliarijs, partim mortuis, partim vivis. Per mortuos intelligo libros Politicorum & historiographorum. Hos primum adito, excutito. Invenies ibi ex aliorum monitis, exemplis & periculis tibi quod ex usu fiet & commodo. 3

Sed magis movent *ἀνθρώπων* & vivorum, Ergo hos etiam atq; etiam intuearis, cum ijs multum diuq; converseris, vide. Fieri hoc 4

Q 2

in pa-

in patria poterit & extra patriam. Luculentius extra. Nam

Inter nemo suos evasit magnus amicos

Ars bona in ignota vult regione peti.

5 Proinde in peregrinatione à peregrinis addiscenda addifces commodius, felicius, modo tu *instar sedule apicule*, mella ex varijs floribus colligentis, non *instar araneæ* venena ex ijsdem exsugentis Audias hic non nisi honesta, videas non nisi digna. Summatim: *Sustineas & abstineas*, & quod dici solet, *Hoc agas*. Ita sapientiam tibi & morum comparabis elegantiam.

6 Occurrent Reipubl. formæ miræ, civium & civitatum facies pulchræ, cōsuetudines nunc hæ nunc illæ, instituta varia, vicissitudines rerū aliæ atq; aliæ &c. quæ omnia cognosces vel *ἀντόπλιος* vel ab hominibus & ex libris ipsius loci, si dantur, non in itinere solum, sed & in hospitio & extra mensam & in ea imprimis, si viri prudentes & eruditi affideant. Nam.

& Hic juvenes hic messis adest, componite nidos

Fronte capillata est post hæc occasio calva.

Mores (ut hos addam) assumas velim probatos & tuâ personâ dignos, non moros aut morosos vel affectatos ostentatosve. Cum *Musis* veniant *Charites* oportet.

7 Domum reversus utaris quæsitâ prudentiâ, & in curiâ, & foro te exerceas jugiter: Ut enim (quo simili *Plutarchus* utitur) non bonus erit gubernator navis; qui nunquam in mari ipse fuerit & in tempestate, quantumvis multa de navi, gubernanda præcepta cognovit; Ita nec Politicus absq; usu. Utaris ergo perceptis nempe *pro Christo & patria*, sic pie feceris & rite, suo tamen quodq; loco & tempore. In consilijs *delibera prius*

Prospice facturus quo factum tendere possit,

Sero piget facti, dum male cessit opus.

Deliberata jam exequere maturè. Nam cum deliberaveris maturè factò opus est.

8 Confer *Schonborn. in Polit. c. 3. p. 4, seq.* Item *Christ. Matth. l. 3. Syst. Eth. p. 134.*, qui distinguit inter prudentiam Politicam communem & heroicam. De *prudentiâ*, inquit, *communi* conceditur quod solâ *naturâ* & *cura* acquiri possit, de *heroicâ* non item verum; illa à *diviniore principio* originem trahit, quod probat & *illustrat varijs tum sententijs*

rentijs, tum exemplis, quæ apud ipsum legi possunt. Pergo ad
Problema quintum.

PROBLEMA V.

*Utrum ante lapsum sive in statu innocentie locum
aliquem habitura fuisset Politica?*

Quæstio est nobilis & elegans, quam tamen impræsentiarum
brevioribus absolvere spacijs libet. Dico igitur: *si Politia, utiq; &*
Politica, Ita celebriores Theologi & Politici ad unum omnes. Na-
tura enim & finis, ad quem homines conditi, necessariò id impor-
tant: *Natura* (1) amorem societatis & consuetudinis civilis ho-
minibus implantavit, *Finis* (2) cultum divinum & exercitium re-
ligionis *faciliori negotio* promovendum respicit.

Ut verò ab hisce nostris, quæ post peccatum & nunc habe-
mus, quoad *media*, distincta ac *differens* futura fuisset *Politia*, ita &
quæ de illa præcipit, *Politica*. Vide Keck in præcogn. Polit. & in cursu
Phil. disp. 29. probl. 3. Arnif. in Polit. Hæn. ib. p. 11. alios.

Nam etsi homo nunquam lapsus fuisset, tamen *propagato gene-*
re humano necessariò ex diversis familijs, hinc inde per totum ter-
rarum orbem dispersis, fuissent constituendæ diversæ societates
civiles, ad civilem vitam melius & commodius inter se agendam,
probante Augustino l. 14. de Civit. Dei c. 22. 23.

Sicut igitur ante lapsum quoq; fuisset aliquod caput familie
sive aliquis Paterfamilias, ita quoq; futurum fuisset aliquod regi-
men Politicum, licet *modus* regendi futurus fuisset *diversus*. Ideo e-
nim Deus in Paradyso matrimonium inter Adamum & Evam
sancivit & ordinavit, ut illud esset primordium familie sive sociæ-
tatis domesticæ, & hæc primordium ac seminarium Reipublicæ.

Deinde (2) licet legibus & magistratibus civilibus non fuisset
opus ad *coercendam improbitatem & injusitiam* hominum, (quip-
pe ubi omnia futura fuissent æquissima, justissima & ornatissima)
tamen opus fuisset ad *servandam & regendam societatem hominum*, ut
unusquisq; sciret (Politicam ecce scientiam!) quid sui esset officij
& ad id *faciendum* magis magisq; incitaretur Nempe & Athenienses
olim non ignorabant, quid deceret, sed haud faciebant tamen.

Quanquam propterea etiam ipse Deus primis parentibus.

Q 3

nostris

nostris adhuc in statu innocentiae constitutis legem tradidit de nõ comedendo fructu arboris vetitæ. Sicut ergò inter angelos bonos in statu gloriæ locum habet aliqua regiminis forma, ita etiam inter homines locum habuisset, etiam si in statu integritatis (qui tamen perfectione alterum illum non exæquat) permansissent, id quod sua legislatione testatum fecit Jehova.

7 Atq; hoc est, quod alicubi inculcat *Cl. Slekerus*, qui ad illam de malitiâ legibus refrenanda objectionem ait: *Aliquid* hîc dicitur in nobilissimæ disciplinæ partem. Qui vero totam illam eâ causa sublatam velit minimè audiendus est. Nam est in rebus agendis, quod extra virtutis malitiæq; censum collocatur, quodq; ornamentis suis amabile reddere potest, prudentior humanæ societatis cultus, unde & virtutem præmio suo frustrari necesse est, si absq; politicâ hæc curâ sit.

8 Concludimus nos, constituto demum ordine & Politia, benè superiores in statu integritatis omnia imperaturos fuisse, sponte inferiores obtemperaturos, & quidem absq; omni peccato & atractione. Vide pluribus de hac quæstione disputantem *Petr. Greg. Thol. l. 1. de Rep. c. 2. Lamb. Dan. l. 1. Pol. Christ. c. 4. p. 30. seq. Clem. Timpl. l. 1. Pol. c. 3. q. 10.*

PROBLEMA VI. ET ULTIMUM.

An in quæstionibus Politicis dyjudicandis Theologia respicienda?

1 Possent quis ad quæst. 2. dubitare adhuc, an excellentia Politicæ, quam statuimus, tanta sit, ut forum Philosophiæ cæterarumq; facultatum egressa, ipsi etiam Theologia prædominetur, præsertim cum dictum ibi, sine Politicæ consensu & voluntate non modo tacere Jctm, sed & filere Theologum. Hactenus ergò Positiones Politicæ censuram Theologiæ vix admittent. Quâ de re uberius explicationis gratiâ præsens proponit quæstio.

2 Quæstioni igitur & dubio huic, ut paucis satisfaciamus, præmittimus 1. quæ pro illius affirmatiivâ faciunt rationes. Ex his, 1. quia lucerna pedibus nostris debet esse verbum Domini, & lumen semitis nostris *Ps. 119.* adeoq; omnibus enitendum, ut eam lucernam præviâ habeant in omnibus vijs suis, etiam in actionibus civilibus.

3 2. Consultatio est divinum quid, ut *Plato* dicebat, Et Nullius est felix conatus & utilis unquam; Consilium si non detq; juretq; Deus, *Phil. Mel.* Iccirò

Itcirco *consiliorum* etiam *Politiorum* gubernatio à Deo est, & esse eorundem *norma* potest & debet *lex divina*.

In *Decalogo* præscribuntur præcepta *Theologica*, pariter & *Politica*. Et *Theologia* omnium *Politicarum* legum fundamentum exhibet; Imò in *sacris* infinita præcepta ad *Rempubl.* pertinentia, multa *judicia*, *consilia*, *deliberationes*, & formæ *Rerump.* extant, ad quæ haud rarò *ICTi* & *Politici* hodieq̃, respiciunt. vide *libellum Francisc. Raguelis*, in quo *leges Politicæ*, quæ quidem extant in *lib. Veteris & Novi Testamenti ad ius civile pertinentes*, collectæ.

4. *Politici*, ubi ad *Theologiam* respiciunt, in *judicijs* ferendis vel *latis certiores* redduntur (certissima enim hæc *Helice*, quæ nunquam fallit) & in *divinis ordinationibus* maximo cum *bonæ conscientie* applausu, quâ nihil in *vitâ præclarius jucundissimè* acquiescunt.

5. *Politici*, quoniam in *timore Domini* sui muneris quod est *efficient*, respiciendo in *dijudicandis rebus ad Cynosuram hanc sacram*, longè majori *prudencia* & *circumspectione* utentur; sicq̃; *præcipitantiam*, *furorem*, *iram*, *avaritiam*, *injuriam*, & id genus alia, à quibus *Scriptura* dehortatur, tanto *facilius cum bono DEO* cavebunt.

Inquis: Attamen multa in *Politicis* tractantur, de quibus in *specie* & *definitè* in *Theologia* vel *sacra Scriptura* nihil. *R.* *Distinguendæ* igitur *res seu causæ*, quæ in *judicium* vel *dijudicationem* veniunt. Sunt enim *aliæ purè Theologica*, *aliæ purè Politica*; *aliæ mixtæ*: *illæ*, quæ videlicet *fidei articulos* concernunt, ex *sola sacra scriptura* & *Theologia*, hæc ex *Principijs* & *regulis Politicis*, cum *recta tamen ratione* & *lege naturæ consentaneis*, *mixtæ* deniq̃; ita *dijudicandæ* sunt & *decernendæ*; tum ne quid *contrarium* statuatur *factis literis*, tum etiam ut *omnis* evitetur *confusio*, & *quilibet munus* exequatur *id, quod suum est*. *Distincti* enim sunt *ordines*, *Theologicus* & *Politicus*, unde *distincta* etiam (*non tamen contraria*) *judicia*. vide *Velft. dec. 1. quest. polit. q. 7.* qui *ibid.* etiam *monet*, *Collationes amicas* distinguendas à *præjudicijs*, *Et*, non semper *cui cognitio est causæ*, eidem *mandatam esse* (*absolutam*) *dijudicationem*.


Addo ego & appendo *sententiam D. Augustini* de *præcellentia Theolo.*

Theologia, quam tradidi & illustravi in Metaph. his ferè verbis, de Meraphysices primatu & universalitate cum quæreretur: Theologia Philosophiæ ambitu haud continetur, sed ipsa quodam, modò continet reliquas scientias omnes (*Aug. epist. 3 ad Valer.*) præter Philosophiam jurisprudentiam quoq; & Medicinam. Has enim omnes (modò quis rectè intelligat) absolute sibi subjectas habet, imperio & regimine non solum *speculativo* sed & *præctico*, Quippe, quicquid in disciplinis hisce docetur, tractatur, id omne ita comparatum sit oportet, ne in *theologicam* vel *veritatem*, vel *pietatem* impingat. Unicè *speculationi* rerum & *praxi* eamundem modum in omnibus certum ponit certosq; terminos, quos transilire religio est. *Hæc in Metaph. & suo prop. n. quest.*

9 Jam ultimo loco quod motum *dubium* attinet, intelligendum dictum, quatenus Theologiæ vel potius Theologo *hospitium* denegatur & *liberum* Professionis *exercitium*. Vel enim *de jure* Politica silentium Theologo imperat, & quidem exorbitanti, & hæresin aliquam defensitanti, *id quod rectè sit*; vel *de facto* idem intentat, ex quadam arrogantia & perversâ prædominandi libidine, Doctori orthodoxo & officio suo (præsertim elenchtico) rectè fungenti. Quod improbamus, & vitio non *Politica* sumi, sed *insanorum Politicorum* evenire (*per accidens*) pronunciamus.

COROLLARIA.

1. De fine Politices rectè Arnis. in *Polit. c. 7. Duplex*, ut in *Logica* & in *plerisq; artibus*, ita in *Politico* finis est, *externus* & *internus*. *Externus* est bene beatèq; vivere, qui ad *generalem* Ethicam rejiciendus, *Internus*, qui respondet *Syllogismo* in *Logica*. *Calceo* in *sutoria*, *vestimèto* in *sartoria*, est *Respubl.* quippe propter quam rectè institutam, multitudo vivit.
2. *Cas. l. l. Spher. civ. c. 1. ait.* Aristotelem *artem Politicam* perfecisse. Plus equidem ad hæc *Hoen* in *Pol. p. 4.* quam *veritas* sentit, philosopho tribuit. *Multa* ille *utiliter* scripsit & *sapienter*, à perfectione autem *artis* longissimè abest, nec illa laude quinquam adhuc dignus inventus est. Annon identidem rectè?
3. Sed falsò idem aliorum sententiam affricat Arniseo, quasi *Oeconomicã* cū *Politica* cōfunderet, nò v. ab invicè distingueret. *vid. ipsū c. 1. de quest. pol. p. 32.*
4. Sicut *Arithmetica* est *ars* distincta à *Musica*, quia in *Arithmetico* principia *Musica* traduntur, Et *Physica* est distincta à *Medicina*, quia in *Physico* fundamenta & principia *Medicina* constituuntur: Sic ipsa *Jurisprudentia* est distincta à *Politica*; quia in *Politica* fundamenta *Jurispr.* jacentur. Plura de hoc themate aliàs.



Itcirco *consiliorum* etiam *Politiorum* gubernati
orundem *norma* potest & debet *lex divina*.

In *Decalogo* præscribuntur præcepta *Theologica*. Et *Theologia* omnium *Politicarum*
tum exhibet; Imò in *sacris* infinita præcepta
mentia, multa iudicia, consilia, deliberationes
extant, ad quæ haud rarò *ICTi* & *Politici* hoc
libellum Francisc. Raguelis, in quo leges Politicæ, quæ
Veteris & Novi Testamenti ad ius civile pertinentes,

4. *Politici*, ubi ad *Theologiam* respi
rendis vel latis *certiores* redduntur (certissimè
quæ nunquam fallit) & in *divinis* ordinatione
bonæ conscientie applausu, quâ nihil in vitâ præ
acquiescunt.

5. *Politici*, quoniam in *timore Domini* effi
cient, respiciendo in *dijudicandis* rebus
gram, longè majori *prudencia* & *circumspecta*
præcipitantiam, *furorem*, *iram*, *avaritiam*,
nus alia, à quibus *Scriptura* dehortatur, tan
DEO cavebunt.

Inquit: Attamen multa in *Politicis* tra
in *specie* & *definitè* in *Theologia* vel *sacra* S
Distinguendæ igitur *res* seu *causæ*, quæ in *ju*
tionem veniunt. Sunt enim alix *purè Theol*
alix mixtæ: *Ille*, quæ videlicet *fidei articulo*
sacra Scriptura & *Theologia*, *hæ* ex *Principijs*
cum *recta* tamen *ratione* & *lege naturæ* con
niq; ita *dijudicandæ* sunt & *decernendæ*; tum
statuatur *sacris literis*, tum etiam ut *omnis e*
quibet *münus* exequatur id, quod *suum*
sunt, *ordines*, *Theologicus* & *Politicus*, un
tamen *contraria*) *iudicia*. vide *Velf. dec. 1. quæ*
etiam *monet*, *Collationes amicas* *distinguen*
non semper cui *cognitio* est *causæ*, eidem *m*
lutam) *dijudicationem*.

Addo ego & appendo *sententiam D. Aug.*



the scale towards document

esse e
iter &
amen- 4
penti
rump.
t. vide
in lib.
ijs fe- 5
Helice,
cum
issimè
mod est 6
anc sa
; sicq;
id ge-
m bono
quibus 7
l. R.
udica-
politica;
ex sola
liticis,
xta de
rarium
gio, &
enim
m (non
i ibid.
ciji, Et,
(abso-
llentia
heolo. 8